IV.—LYSIDEM POST A. 394 A. CHR. N. COMPOSITUM ESSE.

Platonicorum series dialogorum magnae semper fuit res controversiae neque, quando quemque auctor dialogum composuerit, satis constat, si parvum modo numerum exceperis. Huic plerumque numero Socraticos quos dicunt aut minores dialogos docti ascripserunt minimaque de his quidem exarsit contentio. Verum enimvero, etsi ingratum atque importunum videtur, bello iam satis superque acerbo novam subicere materiem, tamen, variis atque ut opinor validis rationibus compulsus, ne in Socraticis quidem dialogis comprobandam esse consensionem quasi universam censeo ac Lysidem certe ei numero eximere conabor. Omnes prope adhuc scriptores ducibus Schleiermachero atque Zellero, sequentibus recenti tempore Windelbandio[1] atque Hammondio,[2] Lysidem circa a. 404 a. Chr. n. compositum esse contenderunt, solus Weiszäcker, bellicosus ille Tubingensis professor, a. 387 eundem attribuit dialogum, ut qui proxime ad Symposium a. 387 editum accedat. Ego igitur Tubingensem non multum a vero aberrasse iudicaverim, sed cum ille levibus tantum atque infirmis argumentis usus sit, denuo et acrioribus armis rem esse gerendam existimo.

Minoribus dialogis singulas Plato virtutes tractat, sapientiam fortitudinem moderationem iustitiam pietatem, plano utique stilo negotium aggreditur, nullam idearum facit mentionem, philosophos qui in eadem via antecesserunt non consulit. At longe alium disserendi modum idem auctor in Lyside usurpat. Non singulas excerpit virtutes, sed unam statuit bonum consectandi esse virtutem, summi illius boni ita definit qualitatem, ut ideae locum occupare videatur,[3] philosophos denique sui aut vetustioris temporis non ille quidem nominatim appellat, at certe quos in quaestionem advocet, dilucide indicat. Cuius rei nonnulla iuvat exempla afferre. Multus est Plato de similium cum similibus aut familiaritate aut contentione (Lys. 214 *c*); notum illud *αἰεί τοι τὸν*

[1] Editio sec. 1894.
[2] Harvard Studies, III (1892) 135 and 137.
[3] Hammond, 137.

ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον cum argumenti loco usurpasset, ut similium inter se amicitiam comprobaret, rursus dubitat num similes quicquam similibus auxilii afferre possint. Nam cum mali nullo modo familiares possint fieri, similitudinem nonnisi in bonis ad formandam valere amicitiam, atqui bonis et strenuis, cum sibi ipsi sufficiant ad vitam bene beateque instituendam, nullam ex amicis crescere utilitatem, neminem igitur esse, quem desiderent, quem amare opus habeant: quare effici, ut nulla inter similes familiaritas aut amor exsistere videatur. Subtilis admodum Platonis est parumque comprobata dissertatio, utpote quae similitudinis nimis premat notionem, sed quare in minutias eas descenderit, facile explicabimus, si vetustius quoddam dictum hic ab eo explosum crediderimus. Adest Democritus, vir sane non contemnendus, qui circa a. 400 a. Chr. n. scripta condidit philosophica[1]; is duodecimo quod superest operum fragmento de similitudine ita agit, ut difficillimae quaestioni minime par fuisse perspiciatur. Hoc quo manifestius sit, locum Democriti, quem interpres Mullachius parum, credo, intellexit, infra adiciam. Dicit igitur Theophrastus in libro quem de sensibus edidit hunc fere in modum[2]: "Democritus, utrum contrariis sensus fiat an similibus, non definit; quatenus enim mutatione sensum existere iudicat, diversis hunc fieri existimaverit, neque enim (ait Theophrastus) similia mutantur similibus. Rursus autem sensum atque omnino mutationem patiendo fieri censet (Democritus); atqui fieri posse negat, ut dissimilia patiantur, et ut ea quae dissimilia sint, dissimilia illa quidem faciant, eadem vero quae similia patiantur." Ergo, adiciat quispiam, Democrito similium potius inter se actionem placuisse apparet, quod secundo eiusdem fragmento confirmatur.[3] Sextus enim Empiricus: "Vetus quaedam, ait, et iam pridem recepta inter physicos versatur opinio, similia similibus cognosci, eiusque opinionis etiam Democritus rationes videlicet attulit probabiles tetigitque eam etiam Plato, ut visum est, in Timaeo. Sed Democritus de animatis et inanimis quaestionem instituit. Animantia enim, inquit, simul congregantur cum eiusdem generis animantibus, ut columbae cum columbis . . . utpote rerum in his similitudine habente vim quandam congregandi." Talem aut similem locum Plato respexerit, cum quidem sapientissimorum commemorat scripta virorum (vid. Lys. 214 *a*), in quibus hoc invenerit, simile simili necessario semper esse amicum. "Haec est, ait,

[1] Mullach, Fr. philos. graec. I 331. [2] Ib. 359. [3] Ib. 357.

eorum sententia, qui de natura deque universo colloquuntur et scribunt." Ac paulo post, reiecta similium inter se amicitia, ubi dissimilium temptavit familiaritatem, ad eosdem rursus philosophos, Ionicos dicos, se refugere fingit meminisseque aliquem disserere ait de eadem re, qui simili simile quam possit maxime esse inimicum contenderet. Quae inter se sint simillima, ea invidia aemulatione contentione abundare, quae vero dissimillima, ea amicitia repleri. Eundem addidisse auctorem oratione usum magnificentiore: Unum quodque non simile sed contrarium appetere, aridum humida, calida frigidum, dulcia amarum, contrarium enim contrario alimentum praebere. Haec nimirum collaudans Plato eloquentiam scriptoris, quem excerpserat hoc loco, admodum extollit, ut videlicet facundae inanitas dictionis refutatione quae sequitur sententiae magis ridicula videatur. Nam dissimilium quoque inter se amorem Plato repellit. Facile autem est conicere, de quo potissimum scriptore Plato cogitaverit, nam quasi sua sponte se praebet Heraclitus, cuius doctrinae multa in Platonis cogitationes redundasse constat. Heracliti enim per orbem terrarum notum est illud bellum omnium rerum patrem esse, quae sane sententia cum loco quem apposuimus Lysideo mirum quantum consentit; idem sublatis gravibus et acerbis, sublata feminae et maris differentia, pulcritudinem ex natura rerum tolli ex diversis vero concordiam formosissimam oriri affirmavit.[1] Secutus est Heraclitum Empedocles Siculus; amore et odio cuncta explanare conatus, qui cum mutationis et generationis arcana solvere temptaret, separationem atque divisionem in natura rerum fieri statuit, mutationem negavit veteremque illam de similibus dissimilibusve quaestionem ita composuit, ut utrumque usu venire contenderet; modo enim amore coniuncta, inimicitia modo disiuncta tamen eadem semper naturae elementa manere sibique constantia docuit.[2] Via non multum ab Empedocle discrepante Diogenes ingressus est Apolloniates, Democriti fere aequalis et Empedoclis; is enim[3]: "Mihi videntur, ait, res cunctae ab eodem elemento variatione oriri atque idem esse. Nam si mundi huius alia ab aliis suapte natura differrent, neque multifariis etsi modis mutata et variata, eadem tamen esse manerent, neque misceri inter se neque aut commoda aut incommoda invicem sibi inferre possent. Nec vel planta e terra nasci vel

[1] Zeller, A Hist. of Greek Philos. II 32. [2] Ib. II 123.
[3] Mullach, I 254, 2.

animal aliudve quicquam procreari posset, nisi eadem cum isdem consisterent; quin haec omnia ab eadem origine abalienata alia aliam speciem induunt rursusque in idem recedunt.

Talia igitur reiecturus Plato tertium quoddam statuit, quod neque simile neque dissimile esset, notionem videlicet superterrestrem, cuius res terrestres etiamsi toto genere distantes partem tamen arriperent. Prius autem quam ad novam illam doctrinam accederet, levibus argumentis Ionum placita philosophorum dissuit, quae quidem argumenta "dialecticis sapientissimis" (216 *a*) attribuit. Dubium esse non potest, quin Antisthenem atque Megaricos his verbis notaverit Plato, qui acerrimam in illos inimicitiam exerceret. Atque etiam verbum *οἰκεῖον* (221 *e*), quod frequenter Socrates in Lyside usurpavit, valde primum, ut videtur, isto vocabulo gavisus, vel maximi apud Megaricos momenti erat. Quod cum Antisthenis prima opera ad annum fere 395 a. Chr. n. referenda sint, Lysidem quoque post Socratis mortem compositum accipiemus, eo magis quod in dialogis ante dictam mortem editis Ionum quae in Lyside deteximus vestigia nusquam apparent.

Ludicrum sit, ex stili perfectione aut idearum, quarum sane animadvertimus in Lyside initia, certi quicquam asserere; quod ad tempus dialogi accuratius constituendum valeat; alia enim aliis tali in quaestione videri satis superque constat. Illud tamen liceat afferre, miram inter Lysidem et Symposium et propositi et idearum exsistere similitudinem. Uterque dialogus in amore definiundo versatur, utroque bonum idem atque *οἰκεῖον* declaratur summique boni amore stare amicitiam efficitur, denique *ἔρως τοῦ μὴ παρόντος* atque *ἐνθυμεῖν οὗ ἐνδεές ἐστι* et similia utroque opusculo pariter occurrunt.[1] Huc accedunt etiam aliae observationes. Nam cum minorum dialogorum exordia idem fere loci occupent, quod argumenti ipsius tractatio cumque posteriorum exordia nullum paene spatium impleant, rerum in Lyside enarratio duabus fere totius dialogi septimis constat, et quinque colloquium de amicitia institutum eademque rerum gestarum ac propriae dissertationis in Symposio ratio invenitur. Docti autem quidam cum particulae *ἄν* frequentia quo quisque tempore dialogus scriptus sit, indagare inceperint, ne hoc quidem contemnendum argumentum ipsum quoque Lysidem quam potest proxime cum Symposio coniungit, eadem particulae istius demonstrata frequentia. Sed haec, quamquam infiniti fuit opus laboris, leviter strinxisse sufficiat.[2] Neque

[1] Cf. Lysid. 218, 221; Sympos. 200 sq., 206.

[2] Vide etiam Lysidis cum Gorgia relationem apud Schleiermacherum, II 1, 17.

enim his solis quamvis copulatione valentibus argumentis uspiam satis effici arbitratus, tamen ad viam muniendam haec aptissima fuisse iudico.

Omnes fere consentiunt, exstitisse inter Platonem et Xenophontem inimicitiam locoque praeclaro Protagorae convivium Xenophonteum vituperari. Mihi ergo etiam in Lyside locus esse videtur, qui manifesto ad Xenophontis sententiam deridendam valeat. Quaerit enim in Memorabilium libro secundo (VI 17) Critobulus, quemadmodum amicum caperet, Ὅπως θηρατέος; eique respondetur: Μὰ Δί' οὐ κατὰ πόδας ὥσπερ ὁ λαγῶς οὐδ' ἀπάτῃ ὥσπερ αἱ ὄρνιθες οὐδὲ βίᾳ ὥσπερ οἱ κάπροι. ἄκοντα γὰρ φίλον ἑλεῖν ἐργῶδες . . . εἶναι μέν τινάς φασιν ἐπῳδάς, ἃς οἱ ἐπιστάμενοι ἐπᾴδοντες οἷς ἂν βούλωνται φίλους αὐτοὺς ποιοῦνται· εἶναι δὲ καὶ φίλτρα, οἷς οἱ ἐπιστάμενοι πρὸς οὓς ἂν βούλωνται χρώμενοι φιλοῦνται ὑπ' αὐτῶν. . . . Ἃ μὲν αἱ Σειρῆνες ἐπῇδον τῷ Ὀδυσσεῖ . . . τοῖς ἐπ' ἀρετῇ φιλοτιμουμένοις οὕτως ἐπῇδον. Si non adulationes, at certe dulcia verba eis offerre, quorum quis amicus fieri vellet, hoc Xenophon optimum ad venationem faustam esse auxilium significat, cantibusque ut praedam demulceant venatores manifesto suadet. Quid Plato ad hoc? Ποῖός τίς σοι, ait, δοκεῖ θηρευτὴς εἶναι, εἰ ἀνασοβοίη θηρεύων καὶ δυσαλωτοτέραν τὴν ἄγραν ποιοίη; Δῆλον ὅτι φαῦλος. Καὶ μὲν δὴ λόγοις τε καὶ ᾠδαῖς μὴ κηλεῖν, ἀλλὰ ἐξαγριαίνειν πολλὴ ἀμουσία· ἦ γάρ; Hippolochum, qui cum laudibus atque cantibus amasium capere temptasset, difficiliorem eum ac minus placidum reddidit, stultius se gessisse apparet, at in Hippolocho Xenophontis ostenditur atque refutatur stultitia. Propositum enim, de quo agitur, idem est, nempe amicitia, simile autem utrumque, quod in Memorabilibus occurrit, venationis atque cantationum, redit in Lyside, immo etiam eadem interdum usurpantur vocabula, venationis denique praecipue imaginem Xenophonti, venandi inter primos studioso, curae fuisse loci insequentes (§§28 et 33) arguunt, ubi mentio eius iteratur, atque cantationes valde eidem placuisse repetitio ostendit earum §32, qua ita fertur: τὰς δέ γε Σειρῆνας ὅτι . . . πᾶσι πόρρωθεν ἐπῇδον, πάντας φασὶν ὑπομένειν καὶ ἀκούοντας αὐτῶν κηλεῖσθαι. Exquisitissimum videtur Platonis esse acumen atque in adversario discerpendo eo magis eum desultasse putabimus, quia Xenophontem hominem ambitiosum, qui omnibus studiis campestribus se facile primum fore confideret, ut pessimum quasi venatorem depingendi occasio ei oblata est. Quanta esset ad iocandum alacritate, Plato paulo post iterum ostendit, nam cum Critobuli dubitationibus effete Xenophon hisce obviam iret (§22): ἀλλ' ὅμως διὰ τούτων πάντων ἡ φιλία διαδυομένη συνάπτει τοὺς καλούς τε

κἀγαθούς, argute Plato et praeclare (*τὸ καλὸν*) *ἔοικε*, ait, *μαλακῷ τινι καὶ λείῳ καὶ λιπαρῷ, διὸ καὶ ἴσως ῥαδίως διολισθάνει καὶ διαδύεται ἡμᾶς.*

Placitorum cognitione Ionicorum, Megarici mentione vocabuli, notionum denique profunditate Lysidem reliquis praecellere dialogis minoribus supra demonstravimus, grammatica ratione et divisione et argumento invenimus proxime eum ad Convivium accedere: huc adicias Memorabilium locum, qui maximi est ad amicitiam cognoscendam momenti, in Lyside commemorari. Atqui Memorabilia non ante a. 394 a. Chr. in lucem prodierunt, ergo Lysis ad a. 394 vel infra reiciendus est. Iam Convivii, quo amicitiae causa atque origo profundiore et prope divino indagatur ingenii flatu, quasi symphoniae aut concentus cuiusdam maioris pleniorisque Lysis sicut exordium fuerit et praeludium.

A. WIRTH.